

motus omnes super hac fiunt, piscium, avium sublimium reliquorum. Habent vim præterea corpora mundi principalia, ut suo locentur quæque loco, atque ordine: ab eo que non dimoveantur. Atque ita evenit, ut mundi centrum, in spacii centro semper sit, et terram semper eodem spacio circa centrum maneat immobilis: et aqua suo, et aer, et cœlum universum. Quod si sic est, mundi corpora, cœlum nempe et elementa, partes spacii sibi proprias a principio occuparunt, quibus locarentur, ac perpetuo obtinerent. Quæ sicuti inter se differunt natura: sic spacii partes, eorum singulis subiectæ, possunt videri inter se se differre: differentia hæc, cum a locatis proveniat corporibus, per accidens illis accedit, nisi probetur spacii eas partes ita ab initio dispositas fuisse, ut quæ terram caperet, aerem non caperet. Et quæ aquam, cœlum capere aut aerem, aut terram non valeret. Sed propria sibi corpora, unamquamque cepisse. Quod si concedatur, iam hæc proprietas, a vi alia superiore, necessario cuique illarum indita est. Se vis hæc cuius fuerit, et quæ, suo loco perquiretur.

Finis.